

nanda & probanda, & Verbum Dei non subiacere iudicio Romanae cathedrae, sed cathedram Romanam & omnes Creaturas & Potestates Verbo Dei subiacere, & obtemperare debere, quod si non faciant, anathema esse, quidquid statuunt contra Verbum Dei. Atque hic exitus fuit disputationis Lipsicae. Scribit Surius scurra, Lutherum in hac disputatione ad Consiliarios Principis Georgij requirentes comitatem & moderationem, emisisse barbaram & immanem vocem, & dixisse: Neque propter Deum hac res cepta est, neque propter Deum finietur. Atqui haec ipsa vox non de Lutheri animo, sed de aduersariorum nihil in gloriam Dei vel suscipientium vel absoluentium, securitate & tantummodo ventri suo, & civili dignitati, etiam cum doctrina caelestis decremento, & salutis detrimento, consulentium, prolata sit. Addit idem monachus, tanta eruditionis fuisse Eccium, ut Lutherus plane indignus sit, qui vlla ex parte cum eo componatur. De eruditione vero utriusque, satis testantur scripta utriusque. In ceteris nulla collatio potest institui. Vicit enim Eccius Lutherum modis omnibus temeritatis, maliciae, crapulae, auaritia, ita, ut Eccius aliquando ipse ad D. Philippum, a quo & Lipsia & alibi, veritate conuictus & confusus fuit sapius, multis audientibus dixerit, Philippe, quid mihi numerabunt tui Principes, si Lutherana dogmata defendam? cui D. Philippus, Veritas, inquit, ipsa